



1. Carпов (i. jae.) Specimen quintum
de Applicatione Methodi Scienti-
ficae ad Theologiam revelatam,
Jena.
2. Carпов s. Joh. Bened. / Diss. de
jure decidendi Controversias Theolo-
gicas, Lipsia, 1695.
3. Deutschmann s. Abrah. Henr. /
Diss. de Immortalitate et Immuta-
bilitate Divina Essentia, Witten-
berga, 1692.
4. Gesner s. Salom. / Diss. II. de Eccle-
sia triumphante in caelis,
Wittenberga, 1695.

5. Grätseri / J. J. / Diff. Dea Matrimo-
niales, Jngolshady, 1611.
6. Großschain / Georgi / Diff. De Cultu
divino Enoschi, Erfurti, 1639.
7. Harenberg / J. Joh. Christoph. / Theologia
primorum Christianorum Dogmatica,
Brunsvigi, 1746.
8. Hasei / Corn. / Dissertationes Theolo-
gicae IV. in prophetam Joelis,
Bremi, 1697.
9. Hildebrand / J. Joach. / Diff. de
jejunio, Helmshady, 1719.
10. Criticum Jrendi ad Socerum
suum, Lipsiae 1708.
11. Programma ad Festum Natiuitatis
Christi de Christo primo genito
ante d. n. e. m. Creaturam in Acade-
mia Julia Carolina, Helmshady
1748.
12. Philosophumina de Angelis
Helmshady 1748.


13. Fabricii (joh.) Diff. de Reverentia
erga Sacra, Helmstädt, 1706
14. La Kemacher (joh. Gottfr.) Diff.
de Palo Carni Pauli dato,
Helmstädt, 1722.
15. Leisner (joh. Frid.) programma
an Humilitas Virtus Christia-
norum sit propria, Cize, 1751
16. Molani (Gesh. Wolt.) ~~Diff~~ Theses
miscellae, Rinteli, 1666.
17. Niemejer (joh. Bartholdi.)
programma de Ecclesia Novi
Testamenti, Helmstädt, 1703.
18. ————— programma contra Soci-
nianos, Helmstädt, 1703.
19. ————— programma de Christiana
Religionis partibus, Helmstädt,
1705.
20. Calovij (Abrah.) Curvelaei
Religio triplex, Wittenbergae
1678.

21. de Rewa (Alexy) observatio,
nes Epistola Joh. Josephi a
Trautson Wittenbergae, 1752
22. Ritmejer (Christoph. Henr.) Diff.
de Nominibus Divinis, Helmstadt
1705.
23. ——— Diff. exponens Nomencla-
turas Mortis ex Novo Testamento,
Helmstadt, 1710.
24. Schmidt (Joh. Joach.) Diff. III, de
Theologo non contentioso, Helmstadt
1723.
13, 25.
26. Schmitz (Seb.) Diff. de Indulgen-
tiarum thesauro nullius pretij,
Argentorati, 1673.
27. ——— Diff. de Cantico Zachariae
Wittenbergae, 1689.
28. Schramm (Jond. Conr.) Diff. de
Controversijs cum Socinianis,
Helmstadt, 1721
29. Schubert (Joh. Ern.) Diff. de salutari
Efficacia Resurrectionis Jesu Christi,
Helmstadt, 1798.
25. Nothmann (Joh. Laur.) Diff. de theologo non contentioso
Helmstadt, 1729.

- 29³⁰ Schumacher / J. Alb. / Diff. de Amuleto
quodam Gnosticorum, Berome, 1717.
- 31 Sontag / Christoph. / Diff. sistens
Machinationes aliquot Religio-
sas, Altorfi, 1708.
- 32 Stearne / Joh. / Diff. de Electione
Dublini, 1669.
- 33 Tosani / Dan. / Diff. de recta Ecclē-
siarum Reformatione, Heidelberg
1597.
- 34 Walsh / Joh. Georgij / Diff. de Origine
Trithemismi, iend, 1732.
- 35 Wernsdorff / Gottl. / Diff. de primo
Hominiis Statu, Wittenbergo, 1716
- 36 ——— Diff. sistens Offensivum
in Pietismo reatum, Wittenbergo
1707.
- 37 ——— Diff. de Libris Apocryphis
de vero Christianismo, Wittenbergo
1719.
- 38 Widenburgi / Mr. tobie. / programma
de Colloquio Quedlizerburgense,
Helmstadt, 1710.
- 39 ——— programma, ad singula
Doctrinae Christianae Caputa,
Helmstadt, 1703.
- 39⁴⁰ ——— programma de Interpreta-
tione S. Scripturae, Helmstadt
1705.

41 Witter f. Henr. Demh. / Diff. de
purgatorio, Helmstadt, 1704.

42 Seltner f. Gustav Georgii / Diff
de Horologio Johannis
Hlorsii, 1724.



//


COGITATIONES
AD LOCVM COLOSS. I. Vers. 15.
DE
CHRISTO PRIMOGENITO
ANTE
OMNEM CREATURAM
DIE FESTO NATIVITATIS CHRISTI

AN. MDCCXLVIII

IN

ACADEMIA IVLIA CAROLINA

P. P.



HELMSTADII

TYPIS FAVLI DIETERICI SCHNORRII

ACAD. TYPOGR.

COGITATIONES
AD LUCAM CORINTH I. V. 1.
DE
CHRISTO PRIMOGENITO
ANTE
OMNEM CREATURAM
DIE PRIMO NATIVITATIS CHRISTI
AN. MDCCCLXVIII
ACADEMIA S. MARIAE CATHOLICAE
HEIMSTÄDTL
TYPIS JOHANNIS HILDEBRANDTII
ALBAE TIBURINAE




ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE
PRORECTOR
IO. GEORG. PERTSCH ICTVS

SERENISS. DVCIS BRVNSV. ET LVNEBVRG. CONSILIARIVS
AVLICVS CVRIAE PROVINCIAL. AVLICAE ADSESSOR
ORDINARIVS IVRIVM IN DICTA ALMA IVLIA CAROLINA
ANTECESSOR ORDINIS ICTORVM SENIOR
ET H. T. DECANVS

CIVIBVS STVDIOSIS

S. P. D.

nter varios quibus Christus in sacris scripturis ornatur titulos, eminent & ille, ubi *prior genitus omni creatura* dicitur: *πρωτοτοκος πατρίσ κτισεως*. a) Vexatus, ut Theologi loqui solent, est hic scripturae locus. Iam olim Arii aeseclae illo ad impugnandam Christi diuinitatem vsi sunt. Hodienum Sociniani hanc diuinitatem inde infringere audent, & inter creaturas Christum referunt. Quidam ex antiquis ecclesiae doctoribus, ISIDORVS potissimum Pelusiota, b) putarunt: legendum esse: *πρωτοτοκος*, posito accentu in syllaba penultima. Hos sequutus est ERASMVS, & hinc putauit: Paulum Apostolum de Christo docuisse: quod omnia creauerit, & omnis cre-
A 2 at-

a) Col. I. 15.

b) ISIDORVS Pelusiota *Lib. III*, Epist. 31.

IV

atura ab illo ortus duxerit. Qui hanc Erasmi lectionem probant, pro illa vindicanda & hoc argumento vtuntur: Explicandum esse laudatum Pauli locum e versu subsequenti, vbi Apostolus causam, quare Christus *πρωτότοκος*, seu *creans & gignens omnia* diceretur, prodidisset, illamque per particulam causalem *ετι*, indigitaasset.

HENRICVS HAMMONDVS, ita Pauli verba interpretatus est. c) Denotari per vocem *πρωτότοκος*, non tam primogenitum, quam *dominum*, & potestate instructum, qui iure primogeniti gauderet, cui imperium in fratres competeret. Addidit pro tuenda hac sententia: Sumi vocem *κωνός* in scriptura pro Dynasta, vel viro primario Vocari Dauidem primogenitum Regum terrae, d) seu maximae inter illos existimationis. Loqui Iobum de *primogenito mortis*: e) Iure etiam ciuili, per heredem significari *dominum*. f) Colligit proinde, primogeniti, seu Domini titulo, ideo Christum, insigniri, quod illi summa in ecclesiam data sit potestas. Denique putat: referri etiam posse vocem *πρωτότοκος*, ad Christi resurrectionem, propterea quod factus sit *primogenitus e mortuis*, g) seu primus qui e sepulcro excitatus in coelum subuectus fuerit, ibique omnem, in coelum & in terram potestatem accepit. Suffragantur HAMMONDO plurimi, Reformatae ecclesiae addicti, putantes: per primogenitum intelligi *Domini*, *Principem*, *Ducem* & *Superiorem familiae*, proindeque coniiciunt: Christum ideo dici *omnis creaturae primogenitum*, quod illi supremum in creaturas cunctas imperium competeret.

Displi-

c) HAMMONDVS in *Paraphr. N. T. ad Colos. I, 15.*

d) Psalm. LXXXIX. 28.

e) Iob. XVIII, 13.

f) §. Vlt. *Inst. de Hered. Qualit. & Diff.*

g) Col. I, 18.

V

Difficuerunt haec IO. CLERICO. h) Obseruauit mirum, vix per idonea argumenta probari posse, πρωτότοκον denotare Dominum. Respondit ad loca ab HAMMONDO adducta, monens: per primogenitum Regum terrae, in Psalmo ab illo laudato, non significari *Dominum caeterorum Regum*; sed eximium Regem. Locum Iobi, nil plane ad rem facere, quum per primogenitum mortis, minime *mortis dominus*, sed potius *lethalis morbus* intelligi debeat. Tandem monuit: Iure ciuili heredem proprie non denotare Dominum, sed Iustinianum saltem docere: Eum *pro herede gerere*, qui *pro domino gereret*; dehinc subiicere: *Veteres heredes pro domino adpellasse*. Concludit proinde: „Hinc non sequitur, quia „heres erat primogenitus, ideo posse primogenitum „fundi dici pro herede, adeoque pro domino fundi. „Prodit deinceps suam sententiam, conformem illi, quam BEZA aliique propugnarent, puta, per Πρωτότοκον πρώτης κτίσεως, eum denotari, *qui ante omnem creaturam fuerit*. Eodem sensu capiendum esse verbum Πρωτότοκος, ac si Paulus simpliciter dixisset: *πρότερος*, nulla quaesita emphrasi in duabus postremis syllabis τόκος, quae scilicet essent a verbo τίτω, *pario*. Itaque πρωτότοκον, *primogenitum*, illum dici, qui exstiterit, antequam fratres fuerint. Dixisse proinde Paulum Christum, primogenitum creaturarum, eodem sensu, ac si eum *πρότερον πάσης κτίσεως*, adpellasset. Ipsum Apostolum huic interpretationi suffragari, quippe qui mox de Christo ita loquutus esset: Ipse est *πρὸ πάντων*, *ante omnia*; i) Porro: quod esset *πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν*, *primogenitus ex mortuis*, k) quia primus excitatus ex mortuis. Prouocat denique ad ea quae in caput primum euangelii Ioannis commentatus est, de quibus mox plura occurrent.

h) CLERICVS Annot. ad Hammondi Paraphr. ad Col. I, 15.

i) Coloff. I, 17.

k) Coloff. I, 18.

Sociniani, seu Vnitarii, & qui primas inter illos nostra aetate occupauit partes, IOANNES CRELLIUS, non quidem alieni sunt ab illa, quam Hammondus prodidit, sententia; sed & aliam suppeditant interpretationem, duce vt credo, HVGONE GROTIIO. Putant: loqui Paulum de noua creatione, & sic ideo dicere Christum *primogenitum omnis creaturae*, quod sit primus & summus in creatione noua.

Nostratium quae sit sententia, e disputatione Rostochiensis discere possumus. 1) Haec sub examen reuocat accentuationem, ab ERASMO adhibitam, nec non interpretationem HAMMONDI eiusque asseclarum, CRELLII non minus & omnium qui illi adstipulantur. Excurrit etiam in dogmata Arianorum, qui ex loco Pauli laudato probare voluerunt, Christum rebus creatis esse accensendum, & haec cuncta refutat. Propugnat porro sententiam: per vocem *υἱον, creaturam*, non omnes res creatas, sed homines intelligi, & primogenitum Christum dici, quod ab aeterno, ante omnes res creatas genitus fuerit, & sic ante omnes res creatas existerit; immo quod imperium in omnes creaturas illi competat, quum sit & creator & conseruator illarum. Putauit denique laudatae dissertationis auctor, quod titulus primogeniti, ad *diuinam* quidem Christi *naturam* quadraret, quum iuxta hanc saltem ante omnes sit creaturas; sed in ea simul stetit sententia, & *humanae naturae*, ob vnionem personalem hunc titulum tribuendum esse. In programmate laudatae disputationi iuncto, probatum dare voluit QVISTORPIVS: Christum iam in foedere veteri, titulum, primogeniti ante omnes creaturas, obtinuisse. Prouocat ad Psalmum

ab

1) vid. IO. QVISTORPII *Dissert. de titulo Christi, quo Coloss. I, 15. dicitur primogenitus omnis creaturae*, Respondente FRANC. ALB. AEPINO, propugnata.

ab ETHANE Efrahita compositum: m) probat versionem huius loci, a SEBAST. SCHMIDIO datam, huius tenoris: *Etiam ego primogenitum dabo eum altum regibus terrae.*

Sed varia mihi suborta sunt dubia, quorum quaedam cum amicis, & Haebraicae & Graecae linguae peritissimis, communicavi. Suspecta mihi visa accentuatio vocis *πρωτότοκος*, ab ISIDORO Pelusiota, & dehinc ab ERASMO adhibita, & primo obtutu vel ideo, quod MILLIVS in sua noui Testamenti editione, accentum in antepenultima posuerit, & *πρωτότοκος* bina vice legerit, nec variantem aliquam lectionem suppeditarit. n) Accedit, quod ubi in dicta vocula in penultima accentus collocatur, ea femini sit generis, & talem denotet, *quae primum peperit*. Sic enim *ἀρτιτόκος* est, *quae nuper peperit*: *ὄρτυκος*, *quae cito peperit*: *παιδοτόκος*, est *puerpera*. Occurrebat vero circa vocem *πρωτότοκος*, aliud dubium. Descendit nimirum a verbo *τίκτω*, *pario*, sicque non de Patre qui generat, sed de Matre, praedicare poterit. Ast re penitus considerata deprehendi, vocem *γενῶν*, *gignere*, etiam de matre praedicari; o) & vocem *τίκτειν*, non solum *parere*, sed & idem, ac *producere*, *gignere*, significare. Dabo probationes adfert. Apud MOSCHOPVLVM haec occurrit obseruatio: *Τὸ μὲν γενῶν ἐπὶ ἀνδρῶν κυρίως λέγεται, τὸ δὲ ΤΙΚΤΕΙΝ ἐπὶ γυναικῶν Ὅμηρος δὲ πολὺ λέγει τὸ τίκτειν ἐπὶ ἀνδρῶν τάττει.* *Vocabulum γενῶν, gignere, proprie de Viris dicitur, sed τίκτειν de Feminis.* *Homerus autem saepe τίκτειν de Viris usurpat; Ἰδὸς Πειριδίοιο τὸν ἀθάνατος ΤΕΚΕΤΟ Ζεὺς.* *Filius Peritboi quem immortalis GENVIT Iupiter.* p) Rursus apud HOMERVM haec leguntur:

Nῦν

m) Psalm. LXXXXIX, 28.

n) Coloss. I, 15. 18.

o) Luc. I, 57.

p) MOSCHOPVLVS *Schol. paraphr. in Iliad.* HOMERVS *Iliad.* β

VIII

Νῦν αὖ παιδὸς ἄλαστον οὐδύρομαι, ὃν τέκ' Ὀδυσσεὺς
Τηλεμάχῃ.

*Nunc rursus filii casum lugeo, quem GENVIIT Vlyssēs,
Telemachi. q)*

Et iterum :

Μάντιος αὖ ΤΕΚΕΤΟ Πολυφειδέα τε Κλεῖτόν τε.

*Manius denuo GENVIIT Polyphideamque, Clitum-
que. r)*

Verbum itaque γενῶν, proprium viris, catachrestice sicut tribuitur feminis; ita & verbum τίπτειν, feminis peculiare, de viris praedicatur, & *gignere* significat. s)

HAMMONDI & qui cum eo faciunt sententiam quod attinet, erudite satis ad illam respondit Clericus. Accedit, quod Christus πρωτότοκος in sensu improprio dici nequeat. Est enim εἰκὼν τῆ Θεῶ, τ) πρὸ πάντων, υ) ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τῆ Θεῶ, x) quae omnia ad aeternam illius generationem tendunt & de illa testantur; licet dignitatem virtutem ac excellentiam eius simul innuant. Sic itaque ea quae HAMMONDVS protulit corruunt; quamuis recte dixerit, *heredem*, iure ciuili *dominum* denotare. Teste enim FESTO, heres apud antiquos pro domino putabatur. Hinc de Fulvio, claro Romano viro dicitur: *Decedens dominum omnium esse voluit, quem sibi genuerat: heredem instituens.* y) Hinc MARTIALIS: *Heredem dominumque sui tumulique larisque.* z) In iure nostro, *dominationem*

q) HOMERVS *Odyss.* ζ *Vers.* 174.

r) IDEM, III, *Odyss.* ο. *vers.* 249.

s) conf. FRANC. VIGERVS *de Idiotism. Graec. Linguae Cap. V, Sect. 5. pag.* 176. *Edit.* HENR. HOÛGEVEEN.

t) 2. *Cor.* IV, 4. *Col.* I, 15.

υ) *Col.* I, 17.

x) *Apoc.* III, 17.

y) VALERIVS MAXIMVS *Lib. V. Cap. 9. §. 3.*

z) MARTIALIS *Lib. XI. Epist. 49.*

tionem interponere, & pro herede gerere, aequipollentes sunt enunciaciones. a) Legimus: *Titius hereditatis meae dominus est*; b) quae loquutio idem denotat, ac *heres est*. Dare iussus, nisi adiectum cui? heredibus dare debet, pro partibus hereditariis, & pro ea parte quisque accipere, pro qua *dominus est*. c) Hinc etiam de suis heredibus dicitur: quod viuo patre quodammodo *Domini* existimentur: d) Quod mortuo patre, *dominium* non tam adquirere, quam *continuare* videantur. e)

Socinianorum interpretationem, quod attinet, etsi CLERICVS in ea stet sententia, ingeniosam illam esse; mox tamen violentam & a vocum significatione aberrantem pronunciat. Sed pugnare eam prorsus cum analogia fidei, persuasissimum habeo. Quodsi enim Christus primus inter nouas creaturas esset, & ideo *πρωτότοκος* diceretur, non posset non sequi, illum in classe creaturarum detrudendum fore. Nouas creaturas scriptura illos homines dicit, qui sunt in Christo Iesu; f) sic Christus ceu noua creatura, in se ipso, simulque & extra se existeret. Porro inde sequeretur: quod verus homo, verus Adam, in Christo olim habitasset, & cum illo crucifixus fuisset; quale quid nefas dictu & blasphemum foret. Nec habent Sociniani, quod vocem *κτίσιν* captare, & vel exinde sua dogmata stabilire velint. Quid enim dicent, si illis obiiceretur: Vocem *κτίσιν*, in loco Paulino non *creaturam*, sed *κτίσμα*, *creationem*, denotare? In hoc mirum sensu, & alibi haec vox occurrit. Sic ipsa, Christi
B
verba:

- a) L. 78. D. de acquir. vel amitt. Hered.
b) L. 48. pr. D. de Hered. instit.
c) L. 22. pr. D. de Stat. liber.
d) §. 2. Inst. de Hered. Qual. & Differ. L. II. D. de Liber. & postum.
e) §. 3. Inst. de Hered. quae ab intest. def. cit. L. II. D. de Lib. & post.
f) 2. Cor. V, 17.

verba: Ἀπὸ δὲ ἀρχῆς κτίσεως, g) vix aliam quam hanc admittunt versionem: *Ab initio vero creationis*. Corroborant hanc notionem verba Pauli, h) ἀπὸ κτίσεως κόσμου, *a creatione mundi*, & illa Petri, i) ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως, *ab initio creationis*. Sic prostrati iacent & Ariani & Sociniani. Quodsi enim Christus sit *πρωτότοκος πάσης κτίσεως*, *primus ante omnem creationem*; hi sectarii e verbis Paulinis euincere nequeunt, referri Christum inter creaturas. Hac nostra admissa versione, cum his verbis optime cohaerent quae Apostolus mox addidit: k) quod per Christum omnia sint creata, in coelo & in terra: cuncta per illum & ad illum esse creata; esse illum ante omnia, adeoque & primum ex mortuis, vt in omnibus primus foret. Sic Paulus per omnia cum Iohanne concordat, vbi hic docet: l) Ab initio, seu ante creationem omnem, Rationem, λόγον, fuisse. Rationem fuisse apud Deum: Deum fuisse Rationem. Hanc initio fuisse apud Deum, omniaque per hanc esse facta, & sine hac nihil quod exstitit factum.

Sic porro & ex Ioannis & Pauli verbis fluit: Christum esse *πρωτότοκον πάσης κτίσεως*, saltem iuxta diuinam naturam, & in sensu maxime proprio. Docuit enim Ioannes: λόγον Θεὸν εἶναι, *Rationem esse Deum*; adeoque innuit: ante mundum diuinam saltem naturam exstitisse. Progreditur enim deinceps ad adsumptionem humanae naturae, perhibens: quod illustrauerit vitam & immortalitatem per euangelium. m) In loco Paulino, vbi innuit: Christum esse *πρωτότοκον πάσης κτίσεως*, probe consideranda sunt verba antecedentia: Ὅς ἐστὶν ἐκὼν τῷ Θεῷ
δορά-

g) Marc. X, 6. add. Marc. XIII, 19.

h) Rom. I, 20.

i) 2. Petr. III, 4.

k) Col. I, 16. 17. 18.

l) Ioh. I, 1. seq.

m) Ioh. I, 4. 5. 9. seq. 14. seq. add. 2. Tim. I, 10. 1. Ioh. I, 2. V. 14.

ἀοράτου, *imago Dei inconspicui*. Putat quidem CLERICVS n) haec de ipsa Christi humanitate intelligenda esse; sed cohaerere haec verba cum sequentibus, quis dubitabit? Vidit vero CLERICVS, probare voluisse Paulum, existisse Christum ante omnem creaturam, seu potius ante omnem creationem, quia per eum omnia sunt condita, & addit: *Ante omnem vero creaturam fuisse Iesum hominem, nemo somniauit, cui sanum esset sinciput; itaque intelligenda haec sunt de λόγῳ, vel Ratione diuina, cuius πᾶν πλήρωμα ἐν αὐτῷ κατοικῆσαι, omnem plenitudinem in eo habitare Deo Patri visum est, ut postea loquitur Paulus.* Haec vero cum ita sint, non video, cur verba quae antecedunt, de humana Christi natura explicari debeant. Idem potius est εἰκὼν τοῦ Θεοῦ, quod, veteres Christiani per ὁμοίωσιν τοῦ Θεοῦ expresserunt. Facit etiam huc locus PHILONIS: Ο) λόγος ἐστὶν εἰκὼν Θεοῦ, διὰ τὴν σύμπασις ὁ κόσμος ἐδημιουργεῖτο: *Ratio est imago Dei, per quam totus mundus creatus est.* Non equidem nego quod etiam secundum humanam naturam, Christus sit *imago Dei*: ἀπάντασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ; *splendor gloriae & figura substantiae eius*; Φέρων τε τὰ πάντα, τὸ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, δι' ἑαυτοῦ καθαρισμόν ποιησάμενος τῶν ἀμαρτιῶν ἡμῶν, ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς; *portans omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedens ad dextram maiestatis in excelsis*; p) Quorsum etiam quae ad Philippum loquutus est Christus, pertinent: Ὁ ἑώρακώς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα: *Qui videt me, videt Patrem*; q) sed in loco ad Colossenses, Apostolum ad diuinam respexisse naturam, persuasissimum

B 2

n) CLERICVS *Not. ad HAMMOND. Paraphras. ad Coloss. I, 15.*

o) PHILO *de Monarch. Lib. II.*

p) Hebr. I, 3.

q) Ioh. XIV, 9. add. 2. Cor. IV, 4.

XII

finum habeo. Proinde verba Pauli ita vertenda erunt: *Christus perfecta imago Dei inconspicui, primus est ante omnem creationem; seu: totius rerum naturae excellentissimus.*

Cum loco vero Panlino, ETHANIS Psalmum concordare, vt IO. QVISTORPIVS arbitrari & inde probare voluit: Messiam iam in veteri foedere, si non iam Mosis, saltem Dauidis aetate, *πρωτόγονον* seu primogenitum fuisse dictum; nondum conuictus sum. Putauit quidem STEPH. LE MOYNE, Psalmistam forsan de Christo intelligendum esse, & hunc dici primogenitum Regum, sicut ab Apostolo dictus fuerit primogenitus omnis creaturae, seu Princeps & Conseruator omnis creaturae; quum Principatus & Imperium olim fuerit portio Primogenitorum; sed haesitauit, simulque hanc propugnauit sententiam: Et de Dauide, & de Salomone verba Psalmistae commode interpretari posse. r) Suadere voluit, me iudice, sensus litteralis, loquentum fuisse Psalmistam de Dauide; licet talem interpretationem pro piaculo QVISTORPIVS reputarit. Sed proprio Marte, nil determinare volui. Expetii itaque a peritiore interpretationem, qui meis desiderijs non defuit. In huius viri itaque sententiam quum descenderim; communicabo paucis illius cogitationes. Totus Psalmus LXXXIX: in laudes Regis Dauidis excurrit. Fuit sane Rex religiosissimus. Promisit itaque illi Deus plus vna vice, regnum in saecula, seu longissime duraturum. Ornatur titulo filii, propterea quod Deo filiali cultu & adfectu deditus, tali adfectu illum coluerit, praecepta, eius studiose obseruarit; vicissimque ab illo amore quasi paterno prosequutus fuerit. His de causis auctor Psalmi *Θεωννευσος* dixit: s)
Hic

r) STEPH. LE MOYNE, *Not. ad Var. sacr. pag. 451.*

s) Psalm. LXXXIX, 27.

Hic, puta Dauid, vocabit me, (Deum auctorem & regni sui conservatorem,) Pater meus tu es, (me habebit pro patre, ita me observabit, vt filius patrem,) regens meus, terra mea, & salus mea, (qui me e manu hostium, Sauli & reliquorum, saluum & incolumen praestitit, & adhuc seruat.) Pergit deinde Psalms auctor: t) *Etiam ego (Deus, ob talem in me positam fiduciam, & constantem eius cultum) primogenitum constituam eum, (eodem iure & honore illum afficiam, quo gaudent primogeniti, vt pote pro reliquis fratribus insigni auctoritate ac praerogatiua gaudentes, vt sit in regno Israelis instar primogeniti, cui de iure regnum competit,) eminentem inter Reges terrae, (Palaeestinae, vt maiestate, potentia, omnes reliquos antecedit.)*

Vniuersus itaque Psalms contextus docet, auctorem de Dauide verba fecisse. Sic etiam cum aliis concordat Psalms, u) vbi fundamentum duraturi perpetuo regni Davidici in eo ponitur, quod in filiis Regis, Deus id conservaturus sit, vbi illi a lege & praeceptis diuinis non declinauerint. Tales vero enunciationes ad Christum nulla plane ratione quadrant. Sic itaque habetis ciues, quare, Christus a Paulo dictus sit, *πρωτότοκος πάσης κτίσεως.*

Hic vero, qui primus fuit ante omnem creationem, nostram adsumpsit naturam, & factus est filius *πρωτότοκος, primogenitus, Mariae.* x) Non vero ideo ita dicitur, quod vltrogenitos habuerit; sed quod antea virgo haec castissima, non peperit. Hinc etiam *vnigenitus* dicitur. y) Attendite ciues! ad hanc adsumptionem nostrae naturae. Res est maxima. Nostra enim aeterna salus sic fuit procurata. Instat nunc tempus, vbi memoriam huius miracu-

B 3

Iosae

t) cit. Psalm. V, 28.

u) vid. Psalm. XI. & XXXI.

x) Luc. II, 7. Matth. I, 25.

y) Ioh. I, 14. III, 16.

Iosae natiuitatis recolimus. Contigit illa, fasces imperii Romani vastissimi, Augusto tenente. Quodsi Iusus verborum placeret, dici posset, sub Augusto, natum fuisse Augustissimum. Quae enim & ante hanc natiuitatem, & circa illam & postea contigerunt, augusta plane sunt. Desponsata erat virgo Maria, Iosepho, & ambo e stirpe Davidis descendebant. z) Annunciauit Virgini Angelus, quod in vtero, licet virgo sit, concipere, & exacto tempore, filium parere deberet. Dixit: hunc filium *ΙΕΣΥΜ*, i. e. *Conseruatorem* esse vocandum. Hunc fore magnum, & nominari filium Altissimi: Destinatum illi esse Davidis Regnum, & hoc duraturum, in omne aeuum. Castissima virgo, quae nullum cognouerat virum, attonita quaesivit: qua quaeso ratione virilis congressus expers, grauida fieri posset? Respondit Angelus: Hoc opus virtutem & potentiam Altissimi perficere, proindeque Natum sanctum, Dei filium vocari. a) Grauidam quum suam desponsatam Iosephus procul dubio ex vteri forma & intumescencia agnosceret, non quidem deferre illam voluit; sed vt illam dimitteret vel desereret, consultum duxit. Monitus vero ab Angelo, quod embryo latens in vtero, non e congressu cum quodam viro, sed mirabili & incomprehensibili spiritus sancti virtute, origines duceret, mutato consilio, retinuit quidem sponsam pro coniuge, nec tamen cognouit. b)

Quum

z) Exposuit Matthaeus genealogiam Iosephi, Cap. I. Lucas vero genealogiam Mariae, Cap. III, vt Iudaei conuinci possent, Christum a Davide descendisse, siue Iosephum, (pro cuius filio habitus fuit,) siue matrem Mariam respicerent. Fuit nempe Eli, quem Lucas, Cap. III, v. 23. nominat, pater Mariae, cuius filius siue nepos dicitur Christus, *ἡνωτος* respecta humanae naturae. *Hebr. VII, 3.*

a) Luc. I, 26. seq.

b) Matth. I, 18. seq.

Quum tempus partus instaret, ob censum ab Augusto Caesare indictum, ad urbem Bethlehem ideo Ioseph iter adornauit cum Maria, quod e domo Dauid oriundus esset. c) Prae aliis familiis, quae in hoc oppidulo nominis celebritatem nactae fuerant, excelluit Dauidica. Elegerat Iosephus pro domicilio urbem Nazareth; sed quum Christus in oppido Bethlehem nasci debuerit, d) ita Dei prouidentia rem direxit, ut quum ob indictum censum, omnes ad illam urbem, unde illorum maiores oriundi erant, ire obstricti fuerint, e) sic innotuerit, & Iosephum & Mariam, ortus e familia Dauidis ducere. Sed genus & familia Dauidis, tunc iam in obscuro erant; hinc in diuersorio quodam locum congruum commorandi Iosephus inuenire non potuit, sed ad stabulum ablegatus fuit. Ibi enixa est Maria filium & reclinauit eum in praesepe. f) Sic Rex Regum, cuius regnum durabit in aeternum, non in aula, sed in caula lucem adspexit. Nisi me omnia fallunt, & hic singularis Dei prouidentia occurrit. Fuit Dauid Pastor, & forsitan noctes quasdam in stabulo transegit. E pastore vero ouium subito Rex factus, g) regiam egit vitam. Sic filius Dauidis eiusdem cum parente fuit fortunae.

Sed de augusta hac, in stabulo natiuitate, angustiora longe quam in omnium principum natalitiis contingit, extiteret testimonia ac documenta. Annunciauit illam Angelus, cui mox adiuncta fuit multitudo coelestis militiae. h) Rursus in hac annunciatione notatu digna occurrunt. Nunciata primitus fuit haec miraculosa natiuitas pastoribus, qui per noctem custodes gregum egerunt. Circumcinctos vndiquaque splendore profus diuino, quum se vidissent, timor mentes illorum occupauit. Exerit vero animos

c) Luc. II, 4.

e) Luc. II, 7.

g) Psalm. LXXVIII, 70. seq.

d) Matth. II, 5. 6.

f) Luc. II, 4.

h) Luc. II, 8. seq.

XVI

mos trepidos Angelus, & Christi Saluatoris, summique Regis natiuitatem, denunciauit. Cur vero pastoribus haec natiuitas primitus innotuit? Putarem vel ideo contingisse, quod animarum pastor natus fuerit: i) quod Dominus in ciuitate Dauid, in caula editus, vel sic ostendere voluerit: se propter nos, quum diues esset, pauperem factum fuisse, vt nos sua paupertate ditaret: k) quod Dauid, typus Christi ac progenitor, a grege, cratibus & ouili, ad regnum fuerit euectus. l)

Hi Pastores, mox, ad Christi praesepo accedentes puerum regium videntes, indeque recedentes, primi fuere praecones, nati Domini ciuitatis Dauid, seu Messiae. m) Veniebant dehinc in urbem Hierusalem Philosophi ex Arabia aut Chaldaea, a conterraneis Magi dicti. Hi, vt pote Astronomiae & Astrologiae potissimum dediti, in aere meteoron singularis plane splendoris, non solum noctu sed & interdiu, obseruantes, inde natiuitatem Regis cuiusdam excellentissimi augurati sunt. Intranses urbem, quaesiuerunt: vbinam recens natus Rex Iudaeorum esset? Se venisse ideo, vt illum adorarent. Turbatus inde Rex Herodes, congregauit Principes sacerdotum & peritos scripturae, sciscitatusque est ab illis: quem natalem locum sacri libri venturo Messiae adsignarent? Responderunt e Michae Prophetae vaticiniis: e Bethlehemo exire debere ducem, qui populum Israeliticum regeret. Ablegauit Herodes hos Philosophos Bethlehemum, & vbi ad urbem adpropinquassent, adparuit illis denuo meteoron, ipsamque domum, vbi Christus erat, designauit. Intranses domum, inuenerunt puerum cum matre Maria: proci-dentes adorauerunt eum, apertisque suis thesauris munera obtulerunt, aurum, thus & myrrham.

In

i) 1. Petr. II. 25.

l) 1. Sam. XVI, II. 12.

k) 2. Cor. VIII. 9.

m) Luc. II, 16. seq.

In eo erat Herodes, vt hunc regium puerum, dummodo rescisceret, vbi latitaret, mox in cunis internecioni daret. Hoc ne fieret, in somnis moniti fuerunt nostri Philosophi, ne redirent ad Herodem: Aliam ideo viam, per quam ad suos rursus venirent, elegerunt, procul dubio e diuina reuelatione & breuiorem, & secretiorem. n)

Videtur vel exinde Ciues! quod non solum augusta dici debeat ob circumstantias, quas recensui, nostri Seruatoris natiuitas; sed prorsus augustissima. Hoc vel ideo adfero, quod ex Angelo annunciante radii splendoris coelestis emicuerint, & quod mox illi multi exercitus coelestes adfuerint, laudantes Deum, his verbis: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonae voluntatis.* o)

Nisi me omnia fallunt, his in verbis finis incarnationis Christi, indigitatur. Quodsi enim ad Deum respiciamus, ad illius gloriam non potest non vergere reconciliatio per Christum facta. Extollunt illam in summis coelis Angeli, & omnis multitudo coelestium exercituum: Hominibus inde procurata salus aeterna; quae consistit in pace cum Deo, & *εὐδοκία*. p) Sic enim & gloriari & gaudere possumus, vt pote participes aliquando gloriae & gaudii coelestis. Hinc etiam gaudere in aduersis, cuiuscunque sint generis, debemus, quod Christus carnem nostram adsumserit, & sic, cum reliquo redemptionis opere, Deo Patri reconciliauerit.

Adsentior quidem B. GUNDLINGIO vocem *εὐδοκία*, sonare *laetitiam, laudem, gaudium*; & verbum *εὐδοκίαν*, *lauda-*

- n) Matth. II, 1. seq.
o) Luc. II, 9. 13, 14.
p) Rom. V, 1. seq.

XVIII

laudare, delectari, gaudere; q) Sed vt sub voce $\gamma\eta$, apud Lucam latitaret Vrbs Bethlehem, cui boni Daemones omne bonum & prosperitatis genus adprecari fuerint; nondum credo. Inferuire debuit haec interpretatio, ad concilianda loca Prophetae Michae, & Matthaei Euangelistae; r) Sed in scholio, ipse B. GUNDLINGIUS aliam conciliationis viam monstrauit. Quare etiam multitudo coelestis exercitus saltem Bethlehemiticis incolis gaudium & laetitiam, minime vero omnibus hominibus annunciaffet? ego quidem non video. Hominibus *ἔδωκεν* promiserunt, quorsum omnes terrarum incolae pertinent, dummodo viuere velint Deo in Christo. s) Sed quae dixi de laudibus coelestium exercituum, quibus incarnationem nostri Seruatoris celebrarunt, & quem dedi illis sensum, nemini obrudo. Videant peritiores, quatenus recta & vera, vel dubia aut falsa in medium protulerim. Cedam vltro, meliora edoctus. Meo vero, quod nunc incumbit, officio, me sic satisfacisse arbitror, vbi vos, Ciues! de tempore quod viuimus commonefacio. Exhibui Christum *πρωτότοκον πάσης κτίσεως*, quantum ad diuinam, & *πρωτότοκον* Mariae, quantum ad humanam naturam. Ostendi, quam augusta fuerit huius Primogeniti natiuitas, quantaque nobis attulerit bona, & quod aeterna nostra salus exinde vnice dependeat. Tanta beneficia Ciues! omnino *ἔδωκεν*, *gaudia & laudes* efflagitant. Vos vero ita moratos arbitror, (licet a praeceptis quae religio exigit, quam vos profiteri scio, abstrahere velim,) vt gaudia non in nocturnis grassationibus, clamoribus, boatis & reboatibus quaerere vnquam velitis.

Veram

q) Gundlingiana *Part. XXXII, Art. 2.*

r) Mich. V, 1. Matth. II, 6.

s) Rom. VI, 11.

Veram potius, & talem *evidentiam* a vobis omnibus expecto, qualem feriae nostrae exigunt. Certe, quae nobis per Christum primogenitum ante creationem, & primogenitum Mariae, bona & beneficia obuenerunt, nunquam satis celebrare, nunquam ideo satis laetari & gaudere possumus. Imitamini proinde, precor, Pastores Bethlechemiticos, qui audita laeta denuntiatione, festinantes ad Christum venerunt. Intellexerunt tunc, cuncta ita se habere, vti Angelus dixerat. Renuntiarunt vbique audita & visa, Deum laudarunt, quaeque ad eius Numinis gloriam tendere poterant, non reticuerunt. t)

Perpendite Ciues! quod hoc tempore vera lux in mundum venerit, omnes homines collustrans, tenebrasque dispellens. u) Ambulate proinde dum lucem habetis, credite in lucem, vt filii lucis sitis. x) Hac luce exorta, nox discessit & dies adpropinquauit. Abiicite itaque tenebrarum opera. y)

Excurrite cum coelestibus exercitibus in laudes diuinae Maiestatis. Offerite ad Magorum exemplum, Christo munera, scilicet *aurum fidei, thus in thuribulo precum, myrrham poenitentiae*. Haec si facere & obseruare placet, certissimam spem concipere poteritis, aditum esse vobis paratum ad eas beatissimas sedes, vbi nullae tenebrae, sed Dominus Deus lumen perpetuum: vbi cum omnibus Angelis & omni coelesti exercitu, in saeculorum saecula gloria Dei celsissimi celebratur.

t) Luc. II, 17. seq.

u) Ioh. I, 4. 5. 9. III, 19. VIII, 12.

x) Ioh. XII, 35. 36.

y) Rom. XIII, 12.



Verum potius & talia scribitis a vobis dicitur ex-
fecto, qualem terrae nostrae exiguam. Certe, quae no-
bis per Christum primogenitum aere creationem, & pri-
mogenitum Mariae, bona & beneficia obtulerit, in un-
quam satis celebrare, nunquam adeo satis laudare & gra-
tias agere poterimus. Innumera prorsus praecor, factores
benefactorum, qui ad hunc factum deum honoris, salutem
res ad Christum venerunt. Intellexerunt tunc, quanta in
se haberet, ut Angelus dixit. Renuntiavit vobis sa-
tis & ita, Deum laudavit, quaeque ad deum Numinis
gloriam tendere poterat, non recusat. Quae deo
perpetuae Cunctae, quod hoc tempore vera lux in
mundum venit, omnes homines collustravit, tenebras
que dispellens. Ambare prorsus dicit lucem habere
tas, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Hac luce ex-
orta, non discellit & dies abpropinquavit. Adhuc ita
que celebrant opera. y. *in cunctis virtutibus*
Exortio cum coelestibus exercitiis in laude di-
nae laudans. Offerte ad Magorum exemplum, Christo
tamen, solliciti, aurum, sicut, sicut in thuribulo terram,
et, in vobis precantibus. Haec testatur & obstruat praecor,
certissimum spem conspice potius, ad hunc esse votum
peritum ad eas beatissimas sicut, ubi nullae tenebrae, sed
Dominus Deus tamen perpetuum: et si cum omnibus An-
gels & omni coelesti exercitu, in feculorum saecula
gloria Dei celestium celebrant.

1) Luc. II. 17. sed
2) Job. I. 5. & III. 19. VII. 12.
3) Job. XII. 22. 30.
4) Rom. XIII. 12.



00 4 6466

ULB Halle

002 937 239



3


Sb.


17 17

240v

HL. 74.







11

COGITATIONES
AD LOCVM COLOSS. I. Vers. 15.
DE
CHRISTO PRIMOGENITO
ANTE
OMNEM CREATVRAM
DIE FESTO NATIVITATIS CHRISTI
AN. MDCCXLVIII
IN
ACADEMIA IVLIA CAROLINA
P. P.

HELMSTADII
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.

